

prejudiciis. §. XXIV. In investigatione veritatis.  
§. XXV. In dijudicandis aliorum opinionibus. §.  
XXVI. De ejus usu ad amplificandam docendi pru-  
dentiam. §. XXVII. Historiæ philosophicæ neglectus.  
§. XXVIII. Ejusdem difficultas. §. XXIX. Ejusdem  
abusus. §. XXX. De requisitis ad historiæ philosphi-  
cam adminiculis.

§. I.

*Historia  
usus &  
varietas.*



Historiam, quam divinarum humanarum-  
que rerum gestarum notitiam dicere  
possumus, commune eruditionis instru-  
mentum esse, nostro, quo vivimus tempo-  
re non facile negaturus est, qui interiora  
humanae sapientiæ scrutatus est leviter tantum penetrabilia.  
Dum enim vel divinæ operationis in mentibus hominum,  
vel actionum, quæ in externa hominum societate con-  
tingunt, eventus, vel humanae rationis inventa, aut com-  
munis mundi phaenomena consignat, non potest non suis  
cultoribus suppeditare quamplurima prudentiæ sapientiæ-  
que argumenta, quae mentem de praeteritis certam, de  
praesentibus circumspectam, futurorum reddant sine anxie-  
tate curiosam. Unde factum est, ut abs harum rerum pe-  
ritis universa historia, ob amplissimum, quo totum hoc  
universum pervagatur, ambitum, in *ecclesiasticam, civilem,  
naturalem & litterariam* fuerit distincta. Egit de his omni-  
bus & singulis breviter sed erudite, ut opinor, JO. JACOB  
RYSSEL \* in tractatu critico de historia & prudentia histo-  
rica.

§. II.

■ *Prod. liber Lips. 1690. in 12. Cui jungenda Dn. Bierlings  
elegantissima de judicio historico dissertatio. Rintbelii  
1703. habita.*